





1796 / 2  
374  
23

ORDINIS IURISCONSULTORUM  
IN  
ACADEMIA CHILONIENSI

H. T.

DECANUS

D. ANDREAS GUILIELMUS CRAMER

HONORES IN UTROQUE IURE SUMMOS

IN

PRAENOBILISSIMUM IURIUM CANDIDATUM

HENR. FRIDER. CHRIST. CLAUSSEN,

CHILONIENSEM.

A. D. XVI MARTII MDCCXCVL

COLLATOS

INDICIT.

---

Inest: de sigla Digestorum ff.

---

CHILONII.

EXCUDEBAT CHRISTIANUS FRIDERICUS MOHR.

ORDINIS JURISCONSULTORUM

IN

ACADEMIA CHILONENSIS

ET

DECANUS

D. ANDREAS GUILIELMUS CRAMER

HONORIS IN UTROQUE IURE SUMMUS

PRÆTORIUS HONORARIUS

HEINRICH CHRISTIANUS GIBBS

ORDINARIUS

A. D. 1741 MARTII

INDICT

Indict: de ...

CHILONENSIS

EXORDIUM CHRISTIANI GIBBS



Quum ex more et muneris ratione publice indicendi sint summi in iure honores collati nuper in Virum praenobilissimum atque ornatissimum HENRICUM FRIDERICUM CHRISTIANUM CLAUSSEN, et scribendi materiam quaerens circumspiciam temporis angustiam ac spatii exiguitatem, in mentem venit rem minimi fortasse pretii de trivio fumere et exiguis his finibus includere qui huiusmodi solent assignari libellis.

Nimirum qui Digestorum locum unum vel alterum excitant, eius rei causa constat diversis admodum signis uti, et modo graeco vel latino  $\pi$  et *P.* Pandectas, modo maiusculo *D* indigitare Digesta. Utraque haec sigla, quae hodie communi usu teritur, in antiquis libris raro aut nunquam adeo occurrit, certe, quantum ego memoria teneo, vetusta multoties versanti volumina nunquam oculis oblata est. Graeci enim auctores iuris quoties ad Pandectas provocant  $\delta$  littera utuntur, vel *dy.* laudant, ut inspicienti vel per transfennam Basilicæon libros, Harmenopulum, Photium, Balsamonem sine mora patet. Latini autem scriptores antiqui, non nisi hanc sive siglam sive notam adhibent, videlicet ut Digesta duplici *ff.* designent. Quae ratio etiam nostris temporibus plerisque usitata mansit, etsi quod inter Doctores de exponendi modo exortum est dissidium, maximos, quod aiunt, in simpulo fluctus excitarit. Huic igitur rei immorandi parumper et a seriis animum abstrahendi data nobis esto licentia, ut vel doctorum hominum diversa commenta expendendo tandem aliquando quid verum sit et suscipiendum appa-

reat, atque ingenia iuvenum quae ridiculis non raro nugis praeter modum onerantur, vera saltem rei notione in posterum alantur.

Quo primum tempore iste Pandectas signandi modus inoleverit, non constat, fatis autem antiquum esse non licet dubitare. <sup>1)</sup> Ipsi porro Glossatores an de eo quidquam ullibi in medium protulerint difficile dixerim. Equidem, quanquam ad aliarum rerum usum quotidie in manibus mihi versantur ad universum iuris civilis Corpus glossae, nihil tamen in iis quod ad id argumentum pertineat deprehendi; nec quenquam qui ad earum in ea re testimonium provocarit, ut adeo videri possint Glossatores veram huius signi originem fatis cognitam habuisse et verbis perpercisse, quod diversum in interpretando modum obtinere non posse statuerent. Quidquid vero sit, perit mox huius rei vera notitia, ita ut, qui primis post Glossatores vixerunt saeculis iuris auctores, ad coniecturas omni veri specie destitutas et vanissima fomina inclinarint. Et plerique quidem, ut apparet, literas istas singulares a Germanorum principum Friderici I. et II. nominibus deduxerunt, addita, ut fieri solet, diversa ratione, quarum tamen nulla risum eorum continuit, qui vel a limine historiarum doctrinam salutarunt. Auctor *Vocabularii iuris*: <sup>2)</sup> *Ratio, inquit, quia a duobus imperatoribus*

- 1) Inveni enim tantum non ubique adhibitum in impressis antiquis, sed et variis MSS. libris Saeculi XIV. quin etiam in membrana continente libros IX. priores Codices scripta medio Saeculo XIII.
- 2) *Vocabularius iuris utriusque s. v. Digestum*. Liber hic maiorum aetate creberrime lectus saepissime prodiit Saeculo in primis decimo quinto et initio sequentis, omnes tamen editiones raro hodie inveniuntur. Habeo prae me duo eius exemplaria, alterum antiquissimum, primae fortasse editionis, absque temporis aut loci commemoratione, sine titulo, signaturis, custodibus et foliorum numeris, folio, quod aiunt, minore et caractere Gothico excusum; alterum Spirense, itidem folio minore et litera gothica sine custodibus et paginarum numeratione, attamen cum signaturis, cuius subscriptionem adiacere lubet,

nuncupatis hoc nomine Fridericus postea maturius ruminatum est. (scil. ius Romanum) ergo scribitur per duplex ff. secundum quosdam. Et mox: Sed prima ratio (est autem ea, quam adduximus) apparet melior secundum quod ff. scribatur contra morem omnium legalium librorum per duplex ff. quamvis illae duae litterae nec in primo nec in fine huius nominis digestum ponantur. ideo quia ille liber fuit digestus, secundario per duos fridericos imperatores, a quorum cuiuslibet nomine sumpta est prima littera f. et sic erunt duo ff. licet illa ratio aliis non placeat, quia neuter illorum imperatorum aliquid fecit exceptis paucis constitutionibus positis in usibus feudorum. Consentit auctor modi legendi abbreviaturas<sup>3)</sup> his verbis: Vocatur autem hoc nomine digestum quia omnia decidenda ibi digeruntur et solvuntur. Scribitur etiam per duplex ff. contra morem omnium librorum legalium cum nulla littera f. ponatur in hoc nomine digestum ideo ut ayunt quidam quia per duos imperatores quorum quivis Fridericus nominabatur postea maturius ruminatum est et digestum a quorum imperatorum quolibet nomine sumpta est prima f. etc. Paulo aliter rem narrat auctor itidem mihi incertus Lecturae,<sup>4)</sup> qui, postquam ad Bartolum provocavit, qui egregie

quoniam non satis integra reperitur in accuratissimis alias Panzeri Anna l. Typograph. voc. Spirae. Est autem haec: Finit feliciter opus egregium Vocabularii Juris utriusque impressum insigni in civitate Spirensi per Petrum Drach sub anno dnice incarnationis M. CCCC. LXXVIj. mensis May die decima octava. De auctore incerto eiusque libro forte alibi plenior locus erit dicendi.

3) Liber dans modum legendi abbreviaturas in utroque iure. Usus sum editione quae prodijt Norimbergae per Frid. Crewsner. 1476. fol. min. quam refert Panzer l. c. Tom. II. p. 175.

4) Lectura super titulo de Regulis iuris ff. folio III. b. Liber literis gothicis forma quam vocant quarta excusus, hanc sistit subscriptionem: *Impresse in opide*

peritus dixerit, quod conditores iuris fforum erant pagani cum leges erant factae tricentis annis et plus antequam Christus veniret et sic ante religionem Christianam. deinde pergit: Ex hoc patet, quod quidam male dicunt, quod leges fforum sunt editae per duos imperatores, quorum nomina erant Friderivcus. Et ob id scribitur digeflum per duplex ff. Quae fabula, ut intellectu non difficile est, inde originem traxit, quod Imperatorum iftorum foletia multum adiutum fuiffe iuris Romani ftudium, rumore ferebatur.

Alii ex antiquioribus notam iftam ludibrium librariorum exiftimarunt et arbitrarie enatam nulliusque explicationis capacem, ut qui in talibus rationem velit deprehendere, ipfe quodammodo eius fit expers. Huius fententiae propalator eft idem quem laudavi incertus Lecturae fcriptor. Relata enim eorum opinione, qui putant a Fridericis derivari poffe hunc fignandi modum, mox pergit: Hoc dictum non valet unum obulum ut in fimili dicit Bartolus in L. praeterea f. de rei vind. Placuit igitur primis iurisperitis (nempe, fi Dis placet his qui ante religionem Christianam flourerunt) ut digeflum per duplex ff. fcriberetur. Et pro ratione habetur ad hoc glosa in §. furtive Infti. de ufucap. ubi fcilicet dictum illud legitur: Sic volo, fic iubeo, fit pro ratione voluntas. Paulo mitius rem exprimit Auftor modi legendi abbreviaturas: Alii dicunt effe arbitrarium,

Liptzenfi per Baccalaureum Wolfgangum monacenfem anno ab incarnatione dominica millefimo quingentefimo octavo die X. menfis marci. Quis auftor fuerit ignoro, nusquam enim eius aut vola aut veftigium; Germanum tamen fuiffe inde colligo quod femel atque iterum ad confuetudines et mores Saxoniae et Bavariae provocat. Forte fuit ex ipsis Lipfienfium doftoribus antiquis, et, fi coniecturae locus eft, aut Io. de Bretenbach, aut, quod magis puto Damianus f. Theodor. de Boxdorf, nobilis Speculi Saxonicus corrector, qui inter alia fertur quoque Lecturam in Decretalia fcripiffie, et de quo cf. fis praeter alios noviffime V. C. Kopp Magagin für die gefamnte Rechtsgel. B. I. St. I. S. III.



nec omnium rationem esse reddendam ut in *L. non omnium ff. de leg. et senatusc.* Auctor quoque Vocabularii ait, quosdam dicere esse vicium scriptorum. Primae sententiae postea, ignarus credo eorum qui praecesserant, magnus Cuiacius <sup>5)</sup> suffragator extitit, et qui eum sequi solet, Dion. Gothofredus. <sup>6)</sup>

Tertia est ratio eorum, qui, narrante iterum Vocabularii scriptore, existimant Digesta olim per duplex *dd* denotata fuisse, quod an alibi animadversum sit nescio, certe propius iam ad verum accedit, relictum licet a Doctoribus istius temporis, verosimilibus, aut veris adeo, portentosa quaevis praeferentibus.

Idem porro Vocabularii Auctor et alter Fasciculi Temporum <sup>7)</sup> refert aliam opinionem, quasi Digesta olim per *DG* scribi solita fuerint, ex quarum literarum similitudine deinde ortum fit illud *ff.* Sed neque ostendi posse credimus opus illud unquam hoc digrammate notatum fuisse, neque quae intercedat inter adeo diversas literas similitudo, quae mutationi locum fecerit.

Quinta, ordinem autem temporis quantum fieri potest sequimur in recensendis his commentis, quinta est Laurentii Vallae <sup>8)</sup> opinio,

5) *Observ. Lib. XII. cap. ult. Mibi persuasi, inquit, inanem esse laborem quaerentium cur notaverint Digesta maiores nostri in hunc modum ff. Notariorum enim inventum est, quod plerumque nullam habet rationem.*

6) in not. ad rubr. *C. de vet. iur. enuel. Adde Riccium de libror. iur. Rom. quantitate et qualitate. Aphorism. 18.*

7) quem in subsidium plerique post *Ferandum Adduensem Explication Lib. I. cap. 1.* ap. *Otton Thes. T. II.* adducunt. Ipse ille Fasciculus saepissime olim excusus, cum haec scriberemus, non erat ad manus.

8) *Annotat. in Anton. Raudensem.*

qui, biliosus licet aliorum censor, verecundius tamen versatus est in iure Romano aestimando, quam qui, in aliis exemplum eius imitatus, postea in alienam sibi Ictorum messem falcem immisit Salmasius. Censet autem Vallensis hanc notandi rationem ex graeco Δ, quo Digesta indicarentur, originem habuisse. Iam dudum quidem monuit Ger. Io. Voffius <sup>9)</sup> obstare, quod Graeci habeant proprium vocabulum Πανδέκτων. Sed nolo hoc argumentum meum facere, qui supra docuerim Graeci iuris scriptores non tam πανδέκτων, quam δευτέρων vocabulo uti; dicerem potius, non verosimile esse glossatores, latinam modo callentes linguam, ex graecorum literis hausisse istiusmodi morem.

Vallam excipiat cultioris Iurisprudentiae restaurator, cuius libri olim auide lectitati hodie iniuriosa oblivione negliguntur, Andr. Alciatus, <sup>10)</sup> qui, *verisimile*, ait, *Graecos solitos sub graeco nomine Pandectarum librum Digestorum adducere. Cum itaque primam tantum notam π cum accentu circumflexo describerent, nostri Latini eos imitabantur, sed scriptores librarii, qui literas ignorabant, existimaverunt esse vinas ff, in quam figuram facile fuit adiecto unco graecam notam depravare et hinc mala haec scribendi ratio inolevit.* Haec Ille, neque absque veri specie, unde etiam in ea re habuit fere doctissimum quemque sequacem. <sup>11)</sup> Sed quamquam nec nos aliter

9) in *Etymolog. Lingu. Latin.* voc. *Pandectae*. Ut tamen verum fatear honor habendus est Io. Calvino ex cuius *Magno Lexico Iuridico* totum hunc articulum, non memorato auctore, subtraxit Voffius.

10) *Dispunction. Lib. III. cap. 16.*

11) v. c. Corasium *Miscell. V. 15.* Sam. Reyher *Hist. iur. univ. p. 116.* Corn. van Eck *Princip. Dig. L. I. tit. 2. §. 21.* Ferriere *Hist. du Droit Rom. p. 442.* Brunquell. *Hist. iur. P. II. c. 3. §. 34.* Ludovici *Hist. Pandect. §. LX.* Huber *ad π. Prooem. §. 2.* Boeckelmann. *Commentar. in Dig. Prooem. §. 4.* aliosque quos enu-

antea docuimus, tamen nunc meliora edocti, et observantes ne Graecis quidem morem sedisse Pandectas pro Digestis laudandi, aliam rationem sequendam esse putavimus. Neque tamen ideo nostra facimus, quae contra Alciatum disputarunt Ferandus *l. c.* aut Sylvester Aldobrandinus. <sup>12)</sup>

Holoander, cuius famam iam olim contra insectantium calumnias vindicavimus et nunc post severiorem inquisitionem, si locus et tempus paterentur, fortius adhuc propugnaremus, Haloander, inquam, novam rei solutionem dedit, non abludentem ab ingenii quo excelebat sagacitate. Is igitur, *ex monumentis*, inquit, *antiquissimorum codicum constat, latinos*

merare longum foret. Pauci rem in medio reliquerunt, veluti Guadagni *Exerc. in Jus Civ. T. I. p. 38.* Hoffmann *Hist. iur. T. I. p. 577 sq.*

12) *Prooem. Inst. §. igitur.* ubi, secundum Calvinum ait, Alciati coniecturam magis gravis illius et ingeniosi viri egregiam perspicaciam, quam veritatem olere. Ego tamen haec verba in binis meis editionibus Aldobrandini frustra quaesivi. Scilicet ille duplex edidit in Institutiones opus. Unum complectitur eius in *librum primum Institutionum Commentarium* quem editum reperii Venetiis 1548, 1553, 1567, 1568, 1587, 1599, 1608, 1613, 1625, 1648. Ex tot editionibus, omnibus raro occurrentibus, nullam inspicere licuit. Alterum includit *Institutiones iur. civ. recognitas, emendatas, ac utilissimis annotationibus non antehac editis illustratas.* Eae pluries editae, si aliorum scriptis, ex quibus haec olim sparsa collegi, fides adhibenda est, prodierunt Lugduni 1546. Venet. 1548, 1552. Lugduni 1553. Venet. 1558, 1565, 1566, 1567, 1568, 1580. Illam quae Lugduni apud Vincentium 1546. 8. ex *secunda recognitione* [adeoque ne haec quidam prima est] et quae ex *tertia Venetiis apud Iuntas* 1552. lucem adpexit, ipse quidem possideo, sed in illa ne *quod* quidem de isto *σημειω*; in hac simpliciter ad Alciatum provocatur. Lubuit hoc supplendi Adelungii in *Gelehrten-Lexicon* h. v. causa et in gratiam eorum adiacere, qui historiae literariae operam navant.

in τοις παλαιστοις simpliciter huic *Δ* vel huic *Σ* notae, qua operis nomen significabant (unde et supina librariorum negligentia irrepfit, ut hodie ff scribuntur) titulum nudumque capitis principium hunc in modum adiecisse Digesta vel *Δ* vel *Σ* de act. empt. Iulianus. Graecos vero frequentius operis nomen omisisse, titulum, caput, ac versum quem *δεματιον* illi quasi novi facti speciem sive casum, nostri inepte paragraphum appellarunt, per numeros tantum indicasse etc. <sup>13)</sup>

Ex his Holoandri verbis ad unum omnes efficere voluerunt, eum, ex nota graecorum *Δ* h. e. *δεματιον* latinos librarios effinxisse supina ignorantia primum *Σ* deinde *ff*, putasse. Sed si quid video nihil aliud dixit quam hoc, illud *ff* ortum esse ex depravato antiquo *Σ* quod non sigla, sed nota fuerit, qua scribentes uterentur ad indicandum nomen Digestorum. Idem igitur propemodum voluit quod Cuiacius, cuius testimonio supra usus sum.

Catellanus porro Cotta, <sup>14)</sup> et qui eum deinceps excepit Aldobrandinus l. c. feruntur *τὸ ff* exposuisse per facta fuerunt, eoque significari operis perfectionem et absolutionem, quod, cum adeo generale sit ut de aliis fere quibusvis libris possit dici, tam, ut alii dudum dixerunt, absurdum est, ut refutatione serua non egeat.

Nec perfecto sanior fuit eorum interpretatio qui illo signo statuerunt significari *fabrefactum* quod scilicet Pandectarum libri artificiose et ingeniose facti sint. Digna haec cimmeriis medii aevi tenebris opinio, cuius tamen non alium habeo quam Westenbergium <sup>15)</sup> auctorem.

13) in Praefat. Pandectar.

14) *Memorialia* voc. *Pandectae*. Libram ipsam ex aliorum tantum recensione adduco, cum ipse eum non viderim.

15) *Prolegg. Princip. iur. sec. Ord. Instit.* §. 99.

Melior utique est eorum sententia qui, Ferandum secuti, existimant, Pandectas olim *κατ' ἐξοχὴν* Legum nomine venisse, unde postea ex sigla consueta LL effectum sit illud nullius sensus ff. Sed vereor ut ostendi possit Pandectas praecipue LL vocabulo unquam insignitas fuisse. Sed demus hoc fieri posse, quae, fodes, erit inter inversas has L et F literas ea cognatio, ut unanimi fere consensu tam turpiter aberrare potuerint librorum descriptores. Hoc ipsum argumentum facit, ut et Calvinum veri species deferat, qui paullo commodius *τὸ* LL per quinquaginta libros explicat, quibus Pandectae comprehenduntur.

Incerti quoque auctoris hariolatio est, Pandectarum opus maiorum aevo per *SSs. i. e. Sanctiones sanctas* designatum fuisse, quod signum postea in alterum illud transformatum sit. Rem narrat Westenbergius, quem unum huius rei testem haecenus habui.

Vix ac ne vix quidem, certe ioci tantum causa et quia semel ad ludibria haec delapsi sumus, referre attinet, quae chartae inolevit vanissimorum somniorum somniator Riccius. <sup>16)</sup> Is, ut Plautus ait, Iurisconsultos patibulatos reddens, *forte*, inquit, *si fors alibi decollaverit, quod veluti Graecis signum Θ denotavit mortis supplicium, ita nobis graecum Η denotet Injustitiam, vel furcam, unde natum proverbium, abi in graecum Η, in criminalibus autem Pandectas operose occupatas esse atque adeo inde hanc notam accepisse.* Sed video iam, haec magis ad relatum Alciati coniecturam pertinere.

Ne autem deridiculi quidquam pereat et ut hominibus nostri temporis, qui Compendiis et Systematibus construendis salutem Iurisprudentiae, imo generis humani unice contineri crepant, gratia fiat, ecce Cle-

16) l. l. aphor. 18.

ricum<sup>17)</sup> adhuc sistimus, qui quosdam refert illud ff explicasse per *sarraginum sarraginem*. Quae si non vere, acute saltem dicta sunt.

Unus restat Bern Walther<sup>18)</sup> qui, *mihî autem*, ait, *verisimile videtur Pandectas alias duplici pp. scribi solitas. Quodsi ita est, facile potuerunt imperiti amanuenses pp. in ff. depravare. Idque ex similitudine literarum. Nam si pp. coniunctim scribantur, duo quodammodo ff. apparent. Verisimile autem est pandectas (ut puta quae pluralis locatio est) duplici litera pp. non simplici p. citari solitas; cum veteribus Romanis peculiare fuerit, plurales locutiones duplicibus literis designare etc.* — In qua opinione Watherus noster sequaces invenit Barthium<sup>19)</sup> et nuper adeo Hoepfnerum.<sup>20)</sup> Verum occupavimus iam, non solere veteres ICTos in excitando Pandectarum, sed Digestorum fere solum voce uti. Accedit quod in MSS. et excusis antiquis centies scriptum invenias *fforum*, quod sane non aliter quam *Digestorum* vocabulo potest efferri, ut adeo inde pateat veteres semper  $\tau\phi$  ff. signo usos esse ut nonnisi Digesta exprimerent. Ad MS. autem Florentini aevum recurrere, indeque literarum confusionem repetere, id vero admodum improbabile videtur.

Sed mitto iam haec satis cognita Doctorum commenta et ad I. O. Tiliî venio sententiam, quae fato nescio quo hucusque obscura paene latuit,

17) Ex Clerico in medium hoc profert Brunquellus l. c. et in subsidium vocat illius *Biblioth. Ancienne et Moderne*, T. XXIII, sed ibi id frustra quaesiveris. Equidem scio Tom. XXV. exhiberi a Clerico, dum Censorem agit Thesauri Ottoniani, diversas *rov* ff. interpretationes, sed nec ibi de eo quidquam.

18) *Miscell. Lib. II. cap. 4.*

19) *Adversurior. Lib. II. cap. 17.*

20) *Theor. pract. Commentar über die Heinecc. Inst. 5te Aufl. §. 6.*

quamque omnium unice verissimam existimo, dignamque quae tandem aliquando ex situ protrahatur. De huius viri coniectura iam olim quaedam legeram apud Brunquellum *l. c.*, sed nubibus ita involuta, ut iustum fensum extorquere non possem. Neque videbatur is, quem commemorat Tili locum, suis oculis usurpasse, sed quaecunque habet ex Ev. Ottono<sup>21)</sup> hausisse, qui et ipse vix clarior est propter signorum depravationem. Sed quanquam Otto Tili *Rat. quotid. I.* excitat, putaverim tamen et eum non ex fonte, sed ex rivulo sua derivasse, alioque usum esse libro, cuius memoriam supprefferit, quod eum saepiissime facere solitum longa est multorum post Burmannum, neque omnino inanis querela. Mira inde cupiditate incensus videndi ignotum et diu latentem hunc Tili partum, quotquot possum excutio historiae literariae auctores. Neque enim non poteram egregium aliquid atque limatum et perpolitum ab homine expectare cui literae nostrae tot ac tanta debent, qui primus magnam Codicis Theodosiani partem integram dedit, qui primus Ulpiani, quos vocant, Titulos in lucem protraxit, cuius liberali in literas studio Photii Nomocanonem debemus, cuius magnam et eximiam Bibliothecam vel ipse Cuiacius<sup>22)</sup> laudat, cuius denique doctrinam, humanitatem atque benivolentiam invidendis laudibus ornant, quotquot fere tum in Gallia extiterunt Viri hilarioris famae et eruditionis. Praeter tamen ea quae iam commemoravi eius literis excerpta monumenta, et Quintilianum ac quaedam Theologica et Historica, nihil inveni quod laborem quaerendo consumtum pensaret.<sup>23)</sup> Equidem

21) *Praef. ad Thef. iur. T. II. p. 22.* edit. noviss.

22) *Praef. ad Paulli Rec. Sent.*

23) Cf. sis de duobus Tiliis eiusdem praenominis, quorum alter fuit exceptor Senatus Parisiensis (Greffier au Parlement de Paris), aliquot scriptis historicis nobilissimus, alter idemque noster Briocensium et Meldensium

scio eundem alicubi <sup>24)</sup> promittere, se editurum aliquando annotatiunculas quasdam non inutiles, tum in Cod. Theod. constitutiones, tum in ipsura Iustiniani Augusti Codicem, et si per ocium liceret una Consulium catalogum multo certiozem et instructiozem. Sed, nisi omnia me fallunt, quae de eiusmodi opere data fuit et concepta spes, votis non respondit. Certe et hunc librum et ab Ottone excitatum: Rationes quotidianas incassum quaesivi, nec quantum scio quisquam inter editos retulit, ut forte non vanum sit augurium eadam fata huic labori mansisse, quae aliorum eius temporis promissa interceperunt, ut scilicet inter tumultus et bella intestina quibus tunc Gallia, non minus atque nostra memoria, ad interneconem usque agitabatur, conciderint. Haerebat tamen nihilominus animus in libri istius titulo et iudicio Tili de nota Digestorum defixus et anceps, cupiensque saltem, unde in vulgus manarint, fontem internoscere. Ecce vero praeter omnem opinionem, quicquid id fuit, solutum est, cum in brevem suppellectilem nostram incideret Corporis iuris editio Miraeana, non typorum minus elegantia singulari, et chartae nitore, quam lectionum ex optimis MSS. collecta varietate praestans. <sup>25)</sup> Eam dum curiosus et nova-

episcopus (Evêque de Saint-Brieu & de Meaux) uterque doctissimi eodemque anno mortui: *Premier Volume* (alter non prodiit) *de la Biblioth. du Sieur de la Croix Dumaine. Paris MDLXXIX, p. 269.* Sammarthanum in *Elogiis Lib. II.* Teiffier *Eloges des hommes Spéciaux, P. I. p. 342 sqq.* edit. primae. Bayle *Dictionn. h. v.* Anonymi *Rémarques critiques sur le Dict. de Bayle. Par. 1748. h. v.*

<sup>24)</sup> *Praef. ad Cod. Theod.*

<sup>25)</sup> Prodiit elegans haec editio Parisiis apud Carolam Guillard, viduam Claudii Chevalloni et Guilielmum Desbois, forma quarta quinque voluminibus et est glossata. Vulgo audit *Corpus iuris Augustini, Digestum* Vetus editum est a. 1548, reliqua volumina 1550. Vid. etiam Brencmannum in *Hist. Pandectar. Lib. III, cap. IV, p. 269.*



rum rerum appetens hinc inde verso, ecce in adverſa parte paginae qua Inſcriptio tertii tomi Digeforum continetur, Digefturn Novum olim appellabant, haec in Oculos incurrit rubrica: *Io. Tilius Engolismenſis lib. rationum quotidianarum primo. Qua nota digeforum libros antiqui citarent.* Altum caetera ubique eſt Miraei ſilentium, unde, quae dein ſequuntur, et nos mox dabimus, deſumferit. Sed cum fere conſtet Tiliio eiſmodi librum nunquam in lucem prodiſſe, non procul a vero me aberraturum conſido ſi coniectaverim, eum manuſcriptum a Tilio Miraeo oblatum fuiſſe. Quae coniectura inde magis adhuc firmatur, quod arctam inter utrumque interceſſiſſe appareat amicitiam,<sup>26)</sup> uſuique a Tilio Miraeo accepiſſe Codicis cum Theodoſiani, tum Juſtiniani libri manuſcriptum, quo poſtea hic non ſine magno Iuriſprudentiae commodo uſus fuit in edendo Iuris Corpore. Sed mittamus quicquid eſt coniecturarum, et ad certiora prope- rantes ipſum Tiliium audiamus, cuius integra eo lubentius verba deſcribi- mus, quod ea plerisque doctis adhuc incognita fuerunt. Sunt autem haec:

*Io. Tilius Engolismenſis lib. rationum quotidianarum primo.  
Qua nota digeforum libros antiqui citarent.*

*Qua nota digeſtum ab antiquis pingeretur cum aliquem locum  
pandectarum illi allegarent, non poenituit ſummos viros rem eam,*

<sup>26)</sup> ex Praef. Miraei ad Codicem, quae etiam extat in altera editione Corporis iur. a Miraeo procurata, quae octonis prodiit Pariſ. M. D. LII. Cf. ſis Brenemann. *Hiſt. Pand.* p. 270, qui tamen in eo quod de ſignis huius edit. dicit, humani quid paſſus eſt.

quae multis parva videatur, perquisisse. atque illi varîe inter se sentiunt. Nam primùm fuit visum Lau. Vallae, ut maiusculum Δ Graecum esset ad differentiam minoris d. pro distinctione, quemadmodum fit in C. grandiuscula litera, qua Codex significatur, cum c. parvula sit caput vel capitulum. Sed ad quid illi potius Graeco grammate maiusculo Δ fuissent usi, quàm D Latino, cum et Digestum sit Latina dictio? Praeterea quid cogitabant de nostris canonum distinctionibus, cum illi essent longe ante canonum tempora? Codicem etiam per c. parvulam literam scriptum saepenumero in vetustis codicibus repperi. Neque mihi magis placet quod Alciatus commentus est Græcam notam π esse cum circumflexo accentu descriptam, unde postea sit factum librariorum inscitia, ut cum duplicem ff. esse crederent adiecto unco Graecam figuram facile depravaverint. Sed primum cum in Aurelianensis Academiae communem bibliothecam venissem, librosque ut sit, evoluerem, incidi in fragmenta quaedam digesti veteris manuscripta, ita antiqua ut et vetustate et scriptoris librarij elegantia plurimum delectarer. In eo libro ubicunque aliquid ex Iuliani aut Celsi aut Scaevolae libris digestorum refertur, ita erat hac abbreviatione Dig. aut illa nota ϑ, ut nihil sit praeter ϑ Longobardica litera scriptum hoc modo leni linea traductum atque transfixum, quemadmodum etiam ϑ. ad eā. pro

libro ad edictum. et  $\ddagger$   $\mathcal{G}$ . pro libro quaestionum, et  $\ddagger$   $\mathcal{P}$  pro libro  
 responsorum, et sic in multis aliis. Unde postea evenit, ut librarij  
 negligentius scriberent infra subducta virgula in hunc modum  $\mathcal{G}$ .  
 quam figuram scripturae D. Grego. Haloander diligens antiquitatis  
 observator vir ad bonas literas usuique publico natus indicavit se in  
 antiquis codicibus legisse, et eam putat fuisse notam, qua uterentur.  
 Neque ille, quod fortasse rem suspicari non posset, eam scribendi  
 notam esse interpretatus. Nos etiam quod ille dicit in exemplaribus  
 manuscriptis legimus, sed arbitramur factum librariorum imperitia  
 quod pro  $\mathcal{G}$ . scripserint  $\mathcal{H}$ . quod alij postea etiam magis ignari duo  
 ff. esse existimaverunt. Unde hic malus scribendi modus inolevit.  
 Qua de re ut meis condiscipulis facerem fidem, scidi et disrupti ex eo  
 volumine quod erat in bibliotheca, aliquot membranas, quas eis com-  
 monstrarem. In una erant l. ei qui.  $\mathcal{E}$ . l. evicta.  $\mathcal{E}$ . l. filius. ff. de  
 petiti. hered. in altera. l. promissor. ex Iulia.  $\ddagger$  xi.  $\mathcal{H}$   $\mathcal{E}$ . l. Lucius  
 Titius, ex Saevo lae  $\ddagger$  v. dig. ff. nostris titulo de constituta pecunia.  
 Multos porro ab illo tempore antiquiss. codices nactus sum, qui  
 omnes  $\mathcal{H}$  illud distincte elegantérque depictum habent. Caeterum  
 Graeci  $\pi\alpha\upsilon\delta\epsilon\tau\tau\alpha\varsigma$  notant  $\pi$  superinducta pro suo more linea. illa  
 enim eiusmodi abbreviationes suas onerant, quemadmodum Latini

*transfixas facere consueverunt. Alij superimpositum circumflexum accentum esse putant. Praeterea admonet Alciatus paragraphum has nota signari ˆ; ego ita legi in manuscriptis codicibus depictum, et his etiam aliis modis ¶ & ¶, aut parvulo tantum derelicto intervallo. Haec sunt quae ex observatione vetustatis collegimus.*

Atque haec quidem Tilius, verissime si quid video et acutissime. Equidem iam supra monui eo confirmari hanc sententiam et corroborari, quod istud signum in antiquis libris masculino genere, hoc modo *ffio* vel *ffiorum*, scribitur, adeoque non Pandectarum, sed Digestorum vox eo designatur. Interim non dissimulabo extremae iam vetustatis esse istud *ff*. Certe centies illud inveni in glossis antiqui MS. Codicis Iustiniani, scripti anno MCLXII. cuius alibi mentionem fecimus. Minime tamen haec res efficit, ut ideo de Tilius iudicio male existimemus, aut variis sententiis ab eo diffideamus.

Sed nimium fortasse iam indulti calamo in re tam minima, abrumpendumque tandem est filum, ne nimium excresecat. Venio igitur ad id, cuius causa hoc quidquid est scribitur. Nimirum indicendus est publicae atque declarandus honor ab Ordine meo habitus Viro Praenobilissimo atque Ornatissimo HENR. FRID. CHRIST. CLAUSSEN, qui de vitae studiorumque ratione ita apud nos breviter exposuit:

*Natus sum Kilonii die 26. Octobris anno MDCCLXX, patre Ioachimo Bernardo Claussen, Ducis Holsatiæ Commerciorum Asses-*

fora. Absoluta domestica atque privata institutione civis scholae civitatis patriae factus, antiquae ibi literaturae prima hausi elementa. Inde anno MDCCLXXXIX. migravi in universitatem Ienensem, ubi tam philosophicis quam historicis, imprimis autem iuridicis lectionibus assiduus interfui, doctoresque habui viros clarissimos atque consultissimos, Hufeland, Heinrich, Reichard, Eckard, Schnaubert, et quoad practica, quae vocant, Schelwitziun. Ad lares reversus anno MDCCXCI. patriae academiae operam impendi, ibique primum repetii iuris canonici praelectiones doctore Perillustri Trendelenburg, deinde iuri matrimoniali operam adhibui duce Consultissimo Schrödero, et in digestis iterum memoriae mandandis itidem Consultissimo Iensen. Mathematicas etiam lectiones audivi Clarissimi Valentiner. Cupiditate incensus iuris danici statum ac conditionem ex propinquo internoscere, Regiam petii Havniam anno MDCCXCHL. ubi praesertim frequens interfui praelectionibus Consultissimi Schlegel, practicis vero ventilationibus atque elaborationibus in societate iuridica practica. Interim quoque Pericula publice scribendi nonnulla feci, inserta operibus periodicis. Sunt autem sequentia: 1) Stanislaus Leszcinski Meinung über Rousseau, im deutschen Magazin, 8ter Band, December 1794. S. 608. 2) Litterarische Nachricht, betreffend Adam Smith, Verfasser

des Werks: *Inquiry into the nature and causes of the Wealth of nations. ibid. Junii 1795. S. 650-655.* 3) Gaetano Filangieri Prüfung der englischen Constitution, aus dem ersten Theil seines Werks, betitelt: *la scienza della legislazione, übersetzt, mit Anmerkungen; im Genius der Zeit. Julii 1795. S. 337-369.* 4) *Sudat denique iam sub prelis Ungerianis Berolini: Collectio pactorum aliorumque actorum publicorum ministerii danici regnante Christiano septimo lingua franco-gallica. Haec sunt quae de me dicenda habui.*

Haftenus Ille. Exhibitis speciminibus doctrinae, oblataque Dissertatione Inaugurali Ordo meus Candidatum Praenobilissimum dignum existimavit cui Doctorum corona tribueretur, praeterque consuetum diploma hoc quoque quaecumque scriptum honorum collatorum testimonium extare voluit. P. P. Chilonii a. d. xvi. Martii A. O. R. MDCCLXVI.







Kiel, Diss., 1777-1800


ULB Halle  
002 513 005

3



7  
561







Farbkarte #13

B.I.G.

1796/2  
~~374~~  
23

ORDINIS IURISCONSULTORUM  
IN  
ACADEMIA CHILONIENSI

H. T.  
DECANUS  
D. ANDREAS GUILIELMUS CRAMER  
HONORES IN UTROQUE IURE SUMMOS  
IN  
PRAENOBILISSIMUM IURIUM CANDIDATUM  
HENR. FRIDER. CHRIST. CLAUSSEN,  
CHILONIENSEM.  
A. D. XVI MARTII MDCCXCVL  
COLLATOS  
INDICIT.

*Inest: de sigla Digestorum ff.*

---

CHILONII.  
EXCUDEBAT CHRISTIANUS FRIDERICUS MOHR.